



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 3. Pax Hungariæ regis cum Alberto fratre suo, & Poloniæ Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1491.

declarans, quod ab ea (præterquam in mortis articulo & satisfactione prævia) ab alio quam Romano Pontifice absolutio- nis beneficium obtinere nequeant. Adjectis insuper aliis in Tabelliones pœnis, qui ejusmodi delinquentibus ministerium suum impenderent. Juebantur præte- rea Episcopi, ut eandem sanctionem in suis Diocesibus incunctanter promul- garent.

§. III.

*Pax Hungariæ Regis cum Alberto
fratre suo, & Poloniæ
Rege.*

*Bonfin. dec. 3
lib. 1. & 2.*

Crom. lib. 29.

Dubrav. 1. 31

Interea Bajazethes continuato furore, crebrisque incursibus Hungariæ Re- gnum ferro, flammaque devastabat. Ita- que Wladislaus tota armorum mole Tur- cas repulsurus, Albertum fratrem suum in gratiam recipere constituit: ad id maxime Regem sollicitabant Christiani Principes, nec frustraneo conatu; quip- pe die vigesima secunda Februarii hoc anno utrinque pax inita, ac firmata est, ea lege, ut Wladislaus Alberto traditis quibusdam Silesiæ urbibus pensionem constitueret. Postea Varadinensis Epis- copi opera, quem in monasterium seces- sisse meminimus, inimici Hungarorum & Polonorum exercitus pari pacis fœ- dere

dere sese junxerunt. Perfunctus hisce bellis Wladislaus, adversus Maximilianum Romanorum Regem arma sumebat, ut ab eo nonnullas Hungariæ urbes, quas ipsi eripuerat, repeteret; Potitus ille erat Hamburgensi arce, atque non procul a Viennensi urbe Bohemorum exercitum fuderat; attamen, cum Fridericus ejus Pater filio militaria stipendia negaret, eique auctor esset, ut Austria contentus, quæ in Hungaria possideret, Wladislao cederet, Maximilianus Germanorum Principum conventum coegit. Hi tamen haud magis propitii, auxilia adversus Wladislaum dare reluctati sunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1491.

§. IV.

Pax Wladislaum inter & Maximilianum.

Wladislaus hac rerum opportunitate auctus, copiis in aciem eductis Albam regalem, aliasque urbes occupavit, haud dubie victoriæ cursum ac ampliora perfecturus, nisi Casimirus Poloniæ Rex inter utrumque Principem pacem conciliasset, cujus articulos Bonfinius integros recenset hunc in modum: *Hungariae regnum ad Maximilianum, aut ad legitimos ejus hæredes recideret, si Wladislaus sine filiis legitimis decessisset: interea,*
Regni

Bonfin. dec. 5. lib. 2.